

med.

1788.

Kem 3483 (1-14)

540

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
MEDICA  
SISTENS QVAEDAM

CIRCA

SYSTEMATIS AB-  
SORBENTIS PATHO-  
LOGIAM.

---

QVAM

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS  
CONSENSV AC AVCTORITATE

PRO

GRADV DOCTORIS  
MEDICINAE

RITE OBTINENDO

DIE XX. JUNII, MDCCCLXXXVIII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR,  
LVDOVICVS FORMEY  
BEROLINAS.

---

HALAE,  
TYPIS FRANCKIANIS.

LIBERVNAE CITATISSIM

ADIOM

CLAVAVS CAVIT

TA CITA T

PATRI OPTIMO  
IOH. SAM. HENR. FORMEY

REGI BORVSSORVM A CONSILIIS  
INTIMIS, PROFESSORI PHILOSOPHIAE,  
ACADEMIAE REGIAE BORVSSICAE SCI-  
ENTIARVM AC ARTIVM LIBERA-  
LIVM A SECRETIS, ALIARVM-  
QVE SOCIETATVM ERV-  
DITARVM SODALI

HASCE STVDII ACADEMICI PRI-  
MITIAS PIO GRATOQVE ANIMO

D. D.

LVDOVICVS FORMEY.

A 2



卷之三

*... et de la mort de l'empereur Charles V.*

---

## INTRODVCTIO.

**A**d conservationem humani corporis ejusque sanitatis, aequè sagax ac provida natura organis illud ac viribus instruxit, quorum mira structu-

ra

ra ac apta modificatio, profundam debet excitare admirationem omnium, qui attente ac acute corporis fabricam, ejusque effectus perscrutantur. Quae autem magna lux in hoc cognitionis campo ex anatomia nobis resulserit, quisque cum sensu gratitudinis intimae erga illam, ejusque felices ac ingeniosos indagatores facile agnoscat, neque magnum ac indubitatum commodum, quod practica medicina inde cepit, negabit. Et quamvis etiam nobis haec conveniat exclamatio, quanta sunt, quae nescimus! nihilominus est, ut admiremur incredibiles illos progressus, quos physiologia a paucis tantum annis

ca-

caepessivit. Futuris quidem saeculis multa supersunt, quæ vel illustrentur, vel detegantur primum: at tamen et nostra aetas inventis gaudet, de quibus justo meritoque glorietur. Quae inter post Harveyanum inventum, palmam forsan, tam quo ad difficultatem, quam quo ad usum omnibus praeripit detectio systematis vasorum absorbentium atque usus eorumdem.

Quanti enim momenti hujus systematis cognitio sit, cuique et rei mediecae parum gnaro, luce meridiana clarius illucet. Etenim reputemus, ab illo non justam solum miscelam blan-

dam-


damque fluidarum partium corporis hu-  
mani pendere conditionem, sed ejus  
quoque ope restitutionem partium  
solidarum, nutritionem, conservatio-  
nemque corporis succedere ac absolu-  
vi. Ex altera parte non minoris mo-  
menti est haec cognitio quo ad pa-  
thologiam corporis. Nam et missis  
morbis iis, quibus sistema dictum qua-  
tale, obnoxium est: ex quoniam  
quaesito fonte frequentiores graviores-  
que enascuntur morbi, quam ex vitiis  
nutritionis? Plura quippe morbo-  
rum genera, quorum indagationem  
hic missam facimus, ex prava hujus  
systematis constitutione actioneque ori-  
gi-

ginem nanciscuntur Verum sufficiat,  
paucis indicasse, exactissimam co-  
gnitionem systematis vasorum abfor-  
bentium non perutilem solum, sed et  
omnino necessariam esse cuique, qui  
nomen medici jure aut adipisci, aut  
tueri contendit.

Pathologia autem hujus syste-  
matis vasorum nondum sat illustra-  
ta, sed potius valde obscura et in-  
completa invenitur. Quamobrem no-  
bis in animum venit, generalia quae-  
dam, hanc pathologiam spectantia,  
speciminis inauguralis loco trade-  
re: licet insufficientiae, ac tenuita-

tis

tis virium nostrarum consciī, exiguūm inde forsān usum redundatūrum credamus. Ipsum interea rei momentum nobis arrisit, et siquid forte peccamus — saltim voluisse satis sit.



I.

*Physiologica quædam.*

**A**nstro proposito longe hic alienum,  
atque extra scopum nostrum positum  
est, historiam et progressus detectionum cir-  
ca hocce vasorum genus, ab aetate ERASI-

STRA-

STRATI, HEROPHYLI atque EUSTACHII vel  
a prima vera hujus inventi epocha, ab ASE-  
LIO nempe conscribere. Multi jam ante  
nos huic operi manum admoverunt, quos  
adire cuique licet (\*). Neque nostra hic  
interest, anatomicam hujus systematis va-  
forum

\*) Cf. HALLER, Element. physiol. Tom. I.  
& VII.

Vasor. lacteor. ac lymphat. anat. physios. De-  
script. Auct. WERNER et FELLER. Lips. 1784.

LINDNER, Spec. inaug. med. de lymph. Sist.  
Halæ 1784.

The history of the absorbent system, by J.  
SHELDON. Lond. 84.

The anatomy of the absorb. vessels of the  
hum. Body. by W. CRUIKSHANK Lond. 1786.

Vasor. lymph. C. H. Historia et Ichnographia  
auct. G. MASCAGNI. Senis 1787.

forum in corpore humano descriptionem tradere, utpote opus, a principibus nostri aevi Anatomicis aeneis tabulis, pulchritudine omnia hucusque nota superantibus, peractum. Nobis sufficiat, pauca de usu physiologico horum vasorum, praesertim quoad Pathologia inde lumen capiat, breviter praemittere.

Systematis absorbentis regnum, per totum corpus humanum locum obtinet, sic, ut quaerenti, in quibus corporis partibus haec absorbentia inveniantur vafa, difficilius responderetur, quam interroganti, in quibus partibus nondum detecta sint?

Antequam vero in physiologica indagatione horum vasorum progrediamur, monitu nobis necessarium videtur, hoc

systema

vasorum systema quatuor quasi constituen-  
tibus partibus consistere, quae, quamquam  
omnes unius ejusdemque indolis sint, ta-  
men ratione functionum quodammodo a  
se differunt. Observanda nempe occur-  
runt vasa lactea, vasa lymphatica, glan-  
dulae conglobatae, ductus denique sic dic-  
tus thoracicus.

Vasorum lacteorum nomine conside-  
randa veniunt vasa, quae propriis finibus,  
villis dictis, ex intima canalis intestinalis  
tunica originem ducunt, quorumque prin-  
ceps functio est, ut ex chymo intestinis  
contento, chylum extrahant, illumque  
denuo elaborandum ac modificandum  
glandulis conglobatis transmittant, e qui-  
bus is, aliis vasorum propaginibus, dein-  
ceps ad massam humorum sanguinis fera-  
tur.

tur. His vasis ergo nutritio proprie  
peragitur.

Vasa lymphatica vero, sunt ille ordo  
vasorum, quae ex omnibus partium super-  
fiebus atque ex atmosphaera eas cir-  
cumdante, et ex omnibus cavitatibus cor-  
poris fluidum quoddam tenui in his secre-  
tum ac depositum vel superficie corporis  
externae applicatum, resorbent ac suscipi-  
unt, perque glandulas, eodem modo, ul-  
terius vehunt, humorumque massae inge-  
runt.

Glandulae vero ipsae, sic dictae con-  
globatae, nil aliud quam plexus ipsorum  
vasorum absorbentium, tela cellulosa con-  
junctorum sunt. Adeunt quidem hos ple-  
xus vasa sanguifera, nervique eos trans-  
eunt,

eunt, quos autem in his glandulis terminari nunquam observavit Celeber. WALTHER (\*) sequentibus id innuens verbis:  
 „Ad nullas glandulas lymphaticas seu conglobatas ambulant nervi, qui in illis terminarentur; perforantur interdum glandulae congregatae uno vel altero surculo, ut toties mihi observare licuit, sed statim ad locum proximum, et ipsis praescriptum ambulant et finiuntur.“

Quod autem usum harum glandularum attinet (\*\*), princeps esse videtur, ut diversissimae indolis aquulæ, praesertim per cutem resorptae, lentiore motu et mora quadam (fortassis etiam accessu novi lati-

\*) Tab. Nerv. thor. et abdom. Berol. 1783.

\*\*) Cf. Cl. BLUMENBACHII Inst. physiol. Götting. 1787. p. 337..

laticis ex arteriolis ipsis adventitiis), magis magisque animali naturae assimilentur, eoque caveatur, ne nimis crudi humores, sanguini praepostere admixti, nocivos in cor exferant effectus. Quid chylum in his cellulosis spatiis contingat, non fatis est certum (\*): adparet tamen, ex arteriolis in iis glandulis secerni tenuer aliquod liquidum, quo adfuso, chylus diluatur. Observatum enim est, omnibus glandulis superatis, chylum magis aquosum apparere. Demum detur, MASCAGNII (\*\*) referre verba, quibus de harum glandularum usu afferit: „Les glandes conglobées font donc

defti-

\*) Cf. HALLER, Elem. physiol.

\*\*) Prodrome d'un ouvrage sur les vaiss.  
lymph. Sienne 1784. p. 16.

„destinés à l'elaboration de la lymphe animale, qui nourrit les parties du corps.“

Fluidum, hoc modo elaboratum, tandem novis vasorum surculis, ex glandulis prodeuntibus, ultra progreditur, ductum thoracicum petens. Hic vero ductus, membranaceus est canalis, quo ad structuram vasis absorbentibus simillimus, quorum major tantummodo est ramus, venae subclaviae sinistrae fere inferens, atque in ipso eo insertionis ostio, peculiaris structuræ valvula munitus.

Haec ergo sunt organa, quibus chylus et lympha et quocunque vasis absorbentibus suscepit fluidum, ad sanguinis massam vehitur.

Ante-

Antequam autem de usu physiologico systematis horum vasorum plura adjiciamus, non supervacuum videbitur, vires, quarum ope officium suum perficit hoc sistema, indagare. In hac disquisitione quaedam hypothetica inveniri scimus; plurima vero physice practice demonstrata ac evicta esse, etiam non ignoramus.

Omnium primo necessarium est, statuere differentiam inter vires, quarum ope absorptio in ipsis vasorum finibus fit, atque eas, quibus suscepimus jam ac resorptum fluidum, in vasis ulterius propellitur: diversissimae enim indolis sunt.

Quod primas vires concernit, quarum ope, veri nominis resorptio in vasorum finibus peragitur, duplices nobis esse videntur.

B 2

tur.

tur. Prima nempe ea est vis mortua, quam  
Physici jure tubis capillaribus tribuunt, in  
quibus fluidum, in quod immerguntur,  
libellam transcendit. Hic resorptionis mo-  
dus aequa simplex ac evidens, appetit prae-  
cipue in vasis lacteis, chylum ex chymo  
attrahebantibus. Secunda vero earum viri-  
um propria quaedam atque viva nobis ef-  
fe videtur, motui peristaltico comparan-  
da. Variis ea stimulis, finibus vasorum il-  
latis, ad officium resorptionis peragendum  
excitatur. Hanc autem vim indubie ades-  
se, et ex eo probare licet, quod possit so-  
la ejus ope, resorptio fluidi magis densi  
ac viscidi, solidarumve partium, cuius  
plura exstant exempla, absolvit. WERNER et  
FELLER in libro jam laudato (\*) fibris quo-  
que muscularibus intestinorum aliiquid ad  
chylum

(\*) p. 26.

chyli absorptionem augendam tribuunt.  
Haec sunt illorum verba. „Quamvis qui-  
„dem in genere, extra dubium positum  
„nobis sit, resorptionem chyli ex chymo  
„secundum eas physicorum regulas contin-  
„gere, quas de tubulis capillaribus tra-  
„dunt, et vel in spongia, quae eosdem in-  
„umeros refert, observamus: tamen ni-  
„hilo fecius musculosis quoque internis in-  
„testinorum fibris haud parum in hoc per-  
„agendo negotio, suctioni chyli videlicet,  
„ut tribuamus, cogimur. Quotiescunque  
„enim hae fibrae, de arcuatis potissimum  
„loquimur, ad sepe accedunt, lumenque  
„canalis arctius reddunt, toties sene inter-  
„ni villi prolongari ac profundius in chy-  
„mum immitti debent: si contra a contrac-  
„tione remittunt, nullum ultra dubium  
„est, quin supra proposito modo chyli ad-

„cys“

„cysternam progressum reddant aliquanto  
„expeditiorem.“

Hae itaque illae ipsae sunt vires, quae  
absorptionem efficiunt. Reliquae nunc in-  
dagandae restant, quarum scilicet ad-  
miniculo fluidum jam resorptum ulterius  
propellatur. Pendent hae cum ab ipso  
rum vasorum stru<sup>t</sup>ura, tum a plurium causarum  
occasionalium hic cooperantium concursu.  
Huc pertinet.

1. Innumera valvularum geminarum  
multitudo, quibus omnis horum va-  
sorum interna superficies vestitur,  
propulsumque fluidum, ne relaba-  
tur, sustinetur.

2) Vis elastica, qua praeter alia vasa,  
praecipue pollent absorbentia, efficit,  
ut

ut haec dilatata, denuo contrahantur.

- 3) An etiam muscularibus nerveisque horum vasorum fibrillis in peragendo hoc negotio quidquam sit tribendum, definire propterea non ausim, quoniam illorum existentia non satis firmis constat fundamentis.
- 4) Denique adminiculi instar agunt variae actiones corporis humani, v. g. pulsatio arteriarum vicinarum, subjacentium praeprimis, quae sane ad ulteriorem chyli progressum non mediocrem conferunt operam. Ab earum enim micatione, fluidique in iis moti calore facilior etiam nostri fluidi progressus fit. Sanguinis calor quippe fluidum lacte-

um

um expandit, et lymphaticum reddit  
tenuius foveatque. Ejusdem quoque  
momenti hic sunt motus musculares,  
exercitiis omnigenis excitati, atque in-  
spiratio loquela, clamore, buccinatio-  
ne, tussi, sternutatione, quavisque  
alia concussione aucta.

Investigato nunc modo, quo absorptio  
perficitur, et quo humores resorpti ulterius  
progrediuntur, supereft, accuratius deter-  
minare, quid in statu humani corporis fa-  
no absorptioni debeatur. Ex hac enim  
dilucidatione pars pathologica intellectui  
magis respondebit.

Sat superque mirati sunt physiologi  
largam vasorum absorbentium glandula-  
rumque copiam ac amplitudinem in em-  
bryone, antequam determinatus esset usus

eo-

eorum. „These Glands, inquit SHELDON  
 „in libro supra laudato \*) appear to be of  
 „greater importance to young animals, than  
 „to adults, and to man and quadrupeds,  
 „than the other classes of animals. It is a  
 „remarkable circumstance, that in the foet-  
 „tus and Children the lacteals and lymphatic-  
 „glands are exceedingly numerous,  
 „but they disappear, as we advance in age;  
 „so that in the adult human subject, there  
 „is not perhaps one tenth part of the num-  
 „ber found in the foetus.“

At variae, eaeque non insufficientes  
 adesse videntur rationes, cur vasa absor-  
 bentia et glandulae in foetu, pro mole ip-  
 sius, copia et amplitudine excedant illa in  
 adultis. Volumine nempe constant ma-  
 jori,

\*) L. c. p. 48.

jori, utpote vicinis partibus nondum coarctata nec ab acri quodam fluido, quod vixerunt, (constrictionis vasorum absorbentium atque glandularum non rara sane in adultis causa) constricta. Amplitudo illorum forsan etiam necessaria est ad faciliorem introitum ac progressum fluidi propterea, quod ab actionibus corporis, (ut fit in adulto), hujus sistematici vires propriae (et in foetu simul debiliores) nondum suffultae sunt.

Usus vero eorum in embryone videtur esse duplex: atque inde eorum copia explicatur. Etenim primo quidem vasa lymphatica resorbent quamlibet partem elementorum, formationi corporis inservientium, a vasibus sanguiferis justo majori copia hinc inde allatam; atque  
hoc

hoc modo et solidis et fluidis justam eamque non excedentem tenacitatem conciliant, justumque partium constituentium inter se aequilibrium producunt. Porro etiam, quamvis cuilibet sat notum sit, foetum in alimentari canali nullam continere chylosam materiem: nutritioni ea nihilo minus inserviunt, dum nempe villis suis ex intestinalium spissiusculo meconio haud medicamentum glutinosae ac oleosae materiae copiam resorbent, quam ad vasa lactea deferrunt atque ad glandulas, quae massam ex matris sanguine praeparatam secunda vice in homunculi proprium ac specialem usum convertunt atque assimilant.

At major demum usus ex hoc vasorum systemate in foetum utero exclusum redundat; atque dum homo vita fruitur, hominum

rum vasorum justa ac inperturbata aetio,  
ad sanitatem plurimum confert. Offici-  
um vasorum in adulto generatim eo con-  
sistit, ut horum ope sanguini fluida ad-  
ducantur; et quamvis forsan nullum ex-  
istat fluidum, quod non vasis his, sanguini  
transmitti possit, peculiaria tamen fluida,  
ut pote his vasis, quod jam monuimus, desti-  
nata, sunt chylus et lympha.

Ope digestionis in ventriculo atque  
intestinali canali, paratus ex cibis chylus,  
laetem atque odoris expertem materiem  
offert. Quae de ea sentiat Cel. HALLER,  
loco illius investigationis huc non pertinen-  
tis, addere licebit. „Est in chylo, inquit  
„lactis natura; color certe idem, et gra-  
„tus sapor subsalsus; levis est ex oleosa  
„natura cum aqua intertrita et sanguini in-

na-

„natat et ipsi fero, fluidior tamen; sed ip-  
 „se cremorem habet innatantem; facile ut  
 „lac cogitur. — In eo chylo aqua est et  
 „multa butyrosa pinguitudo, globulorum  
 „figura rotunda. — Acida natura in chy-  
 „lo dominatur, ut sibi permisus, sponte  
 „acefcat et aliquando in animalibus acidus  
 „fuerit sapor: tamen is acor haec tenus pin-  
 „guedine obvolvitur, ut succum heliotropii  
 „nullo tingat rubore.“

Utilitas chyli, ait alio in loco Cel.  
 HALLER, proxima est, putrescibilem na-  
 turam sanguinis, acido succo suppeditato,  
 obtemperare: absque chylo enim, ut  
 ostensum est, omnes succi humani in  
 summam acrimoniam transeunt, et febris  
 accenditur, intra paucos dies funesta.

Re-



Res est extra dubium posita, defectu chyli, humores blanda privari miscela et conditione, atque acredinem funestam contrahere: an vero haec solummodo a defectu acidi in chylo obvii repetenda sint, merito dubitatur. CRUIKSHANK in libro jam laudato (\*) de chylo verba faciens ait: „I never could perceive any mark of acidity in it, and the effects, that „he attributes to the want of the acid of „the chyle are much better explained from „the debility which want of food must produce in the body“. Sint vero haec ita nec ne, nobis sufficit, alias nobiscum de necessario usu admixtionis novi chyli in humorum massa convictos esse. Transitus vero ille chyli per vasa lactea celeriter peragitur, et anatomicis vulgare est spectata-

cu-

(\*) p. 94.

lum chyli in vivi animaliſ lacteis vasis con-  
ſpicui, qui paulo post evanescit omnis.  
Quoniam autem haec vasa non perpetuo  
chylum ducunt, inveniuntur vel inania vel  
repleta lympha, quam ex intestinali canali  
reforbent: quo lymphaticorum vasorum  
aliquando munere funguntur.

Ex omnibus cavis ac superficiebus  
humani corporis exorta lymphatica vasa,  
quamvis nutritionem ipsam non absolvant;  
in oeconomia tamen animali non ideo mino-  
ris momenti sunt. Sanguis enim et iis fluidi-  
tatem ac blandam suam conditionem, alias-  
que non sat notas qualitates debet. Ex om-  
nibus quippe, e quibus enascuntur partibus  
haec vasa, secretum ac sepositum fluidum  
exfugunt, quod sanguini denuo reducant.  
Hac sagaci constitutione, sanguis aquosis

par-

partibus non orbatur, simulque impeditur, quo minus hoc secretum fluidum se se accumulet atque hydropses producat. Iam saepe laudatus Cl. CRUIKSHANK huic fluido lymphatico extensiorem adhuc tribuit utilitatem, scribens: „I suspect, that „the lymph is a fluid more extensively useful, and that this is not all that is meant „by making the lymphatics take up. I. „suspect, that the fluid found in the lymphatics is, in part, the coagulable lymph of „the blood.“ Quantum vero huic fidendum sit conjecturae, non nostrum est, decidere.

Sed et aliis fluidis receptum dant haec vasa: nam quod a superficie externa cutis, e trachea, arteria atque pulmonum aëreis cellulis novos accipient latices, non dubitan-

tandi locus est. Aërem enim his vasis resorberi est certum: atque inde evincitur, quod hujus fluidi tanta copia in sanguine inventiatur, ut secundum HALESI experimenta trigesimam et tertiam illius partem conficiat. Accedit, quod emphysema saepe unica resorptione tollatur. HALLER quoque de aëre in sanguine contento ait: „Ita „in reliquo humore dissolutus est, ut nulla ejus adpareat bulla.“ Ex his omnibus non incongrue concluditur, ex atmosphaera corpus nostrum circumdante, aërem et forsan alias volatiles partes (jamjam olim sub nomine pabuli vitae notas) resorberi. Talis resorptionis sat evidenter prostant exempla, in quibus, quamquam aucta sit quaedam excretio, et nil alimenterorum assumptum fuisset; corpus tamen gravitatis suae nil deperdidit, quid? quod

C

ea-

eadem major inventa sit. Quod superficie cutis alia fluida, cum quibus in contactum venit, absorbeantur, pariter constat. Sie aqueis balneis extinguitur sitis, et nutriti-entibus alitur corpus. Ex hac resorptione per cutis superficiem, pendet plurimorum externorum remediorum in corpus efficacia: siquidem cantharidum externa applicazione, oriatur aliquando stranguria; mercurii particulae forma unguentorum, cuti illinitae, vel secundum CLARI methodum, forma pulveris interno ori infictae, evi- denter resorbeantur.

Sed et intra hos limites nondum ab- solvitur regnum atque potestas absorptio- nis; sed, quoniam et solida corpora ipsi submissa sunt, ultra extenditur. In senibus enim

enim post dentium amissionem nullum in maxillaribus ossibus, alveolarum reperitur vestigium, et extra dubium est, illos resorptos esse. Tophi, calcaream continentes materiem resolvuntur, et resorben- tur. In senibus aetatis valde provecta-  
inventa sunt cranii ossa, tam tenuia ac gra- cilia, ut chartae vix superarent crassitatem: quod Cl. SOEMMERING (\*) recte resorptio- ni terrae calcareae tribuit.

Difficultatibus autem non levibus pre- mitur explicatio resorptionis solidorum. Cl. HUNTER supponit quidem, vasibus absor- bentibus ossa resorberi actione inversa, qua ab arteriis formantur; atque hanc actio- nem resorptionis, potestati erucae compa-

C 2 rat,

(\*) In Prog. de cognit. subtil. syst. lymph. in med. usu Cassel. 1779.

rat, folia arborum destruentis: Sed inde  
nil explicatur. Cel. CRUIKSHANK hac de-  
re ingeniose ait: „It is possible, that pre-  
„vious to the absorption of à solid, the  
„parts immediately to be absorbed may  
„be converted in to fluids; we know of  
„one menstruum in the body, which is  
„actually capable of converting à solid in-  
„to à fluid: I mean the gastric juice,  
„which converts various solids into one  
„constant and uniform fluid, the chyle:  
„The arteries may secrete a fluid on the  
„surfaces of bones, on particular occa-  
„sions, capable of doing the same thing;  
„or there may be also a fermentation, pe-  
„culiar to the solids of a living body un-  
„der certain circumstances, by which they  
„may be decomposed and converted into  
„fluids

„fluids, retaining all the elementary particles of the solid.“

Ex his omnibus circa physiologiam systematis vasorum absorbentium relatis, patet, quam extensem sit iisdem imperium. Mutationes itaque, quae eorum ope in corpore producuntur, ad conservandam sanitatem, imo vitam, magni momenti esse, nulli ultra dubio subiectum est. At et ex altera parte quantorum morborum hoc sistema causa sit, quot pathologorum phaenomenorum in c. h. obviorum explicationem nobis praebeat, et quantum in levandis multis morbis huic systemati debeatur, non minus aperte patet: et haec nunc nobis perscrutanda supersunt.

## II.

*De morbis ac symptomatibus, quibus obnoxium est absorbentium vasorum systema, generalia quaedam.*

Innumera sunt in morbis symptomata, quorum dilucidationi, per longum tempus omnem navat operam attentus aequa ac arte peritus medicus, antequam de eorum origine certus fiat. Quantum vero inter sit medici, horum symptomatum causas detegere, et propter grave momentum ipsorum symptomatum, et propter diagnosis ac prognosin morbi, quis dubitet? Inter haec saepe explicatu difficiliora phaenomena, ea quae à laefione functionum systematis absorbentis pendent, cuius lon ge

ge lateque vagatur imperium, non parvi  
esse momenti, nec rarioribus adnumeran-  
da, quisque facile consentiet. Sed quam-  
quam varias formas induant haec sympto-  
mata, ut et morbi ipsi hujus systematis,  
utrumque tamen e quatuor praecipue fon-  
tibus oriri nobis videtur. Videlicet:

- 1) Fluidi absorpti progressus ad ductum thoracicum impeditur;
- 2) Secretio lymphae ex humorum maf- fa, justo majori quantitate fit;
- 3) Ipsa absorptio impeditur vel saltem laeditur;
- 4) Ipsum lymphaticum fluidum vitiis variii generis subjacet;

Horum

Horum omnium causas et effectus nunc singulatim tractabimus.

I) Fluidi absorpti progressus ad ductum thoracicum vario impeditur modo: praecipuae vero impedimenti causae esse videntur

a) Mechanica quaedam, eaque externa compressio glandularum vel majorum lymphaticorum vasorum, sic ut hanc ob causam fluido absorpto ulterius progredi non liceat. Tali ab impedimento oriuntur ferosi tumores et oedemata infra pressionis locum. Non raro accidit, ut a fascia ad hernias nimis striete applicata, partesque subiacentes comprimente, oriantur oedemata pedum. In gravidis, vel feminis

nis corpus nimis arcte fibulatorio comprimentibus, adsunt saepe oedemata pedum, a sola externa compressione orta. Idem in bracchio evenit, si vestimentis arctioribus premuntur axillares glandulae. His in casibus impeditur ob compressionem, progressus fluidi lymphatici secreti ac absorpti, atque in vasis absorbentibus illud ipsum accumulatur; accumulatum vero ultra modum distendit vasa, quorum minora non raro disrumpit, aut acredine corrodit: quo fit, ut fluidum in telam cellulosa effundatur.

b) Interne sitarum systematis absorbentis partium compressio, eosdem producit in interiora effectus. Compressionem vero hanc exercere valent in-

dura-

durationes, tumores et scirrhi varia-  
rum vicinarum partium, quibus si  
absorbentia vasa comprimuntur,  
progressus fluidi in iis impeditur.

Ipsae vero glandulae conglobatae non  
raro indurescunt, et volumen majus adi-  
piscuntur, quo ulteriori progressui fluidi  
absorpti impedimento fiunt. Hac ratione  
**HENNINGER** (\*) glandulas mesaraicas in  
adulto homine ad magnitudinem renum  
excrevisse, observavit, scribitque **KER-  
RING**, (\*\*) binas glandulas quindecim li-  
bras pondere aequasse. Quae cum itasint,  
non

(\*) In Diff. de mesent. §. 39. 2. Vol. I. Diff.  
ab **HALLERO** coll.

(\*\*) In Spicileg. anat. Observ. 18.

non potest non esse, quin partes vicinae glandulis compressae, reprimant has ipsas; quo tum glandulae tabescunt et concrefunt quasi; atque hoc modo transitum fluidi impediunt. Idem confirmat RUY SCHIUS. (\*) visis glandulis mesentericis adeo exilibus et exsuccis, ut ne lacteum quidem chylum transmittere viderentur. Sequelae istiusmodi internae compressionis, eo periculosiores sunt, quo magis nescimus, quoniam in loco impedimentum haereat, quid revera sit, et quibus mediis tollatur. Ab impedito hoc fluidi progressu, (quatenus sequela compressionis est) multos originem suam trahere hydropses, tam generales quam particulares, non improbabile videtur: atque inde difficultas sanationis eorum expli-

ca-

(\*) In advers. III. p. 20.

catur. Sectiones cadaverum hydropticis affectibus enectorum, non solum saepe mesenterii vel aliarum partium seirrhos, sed et vasa absorbentia infra pressionis locum magnopere distenta, et magnitudinem calami scriptorii superantia, manifestarunt. Si viribus naturae medicamentis vel artis ope, haec auferuntur impedimenta, nullum dubium est, quin sanetur hydrops, sane lethalis evasurus, nisi id perficiatur.

c) Spastica etiam constrictio majorum absorbentium vasorum transitum lymphae impedire potest. Ad hanc affectionem systematis absorbentis causam raro attendunt Medici, quamvis eorum attentione profecto minime digna sit. Varia in morbis phaenomena

mena

mena de illius existentia nos certiores faciunt. Quid? si ab ea antispasmodicorum et praesertim opii efficacia in tollendis hydropicis affectibus a quibusdam observata, pendeat?

d) Ad causas ulteriores impediti progressus fluidi absorpti ad ductum thoracicum, non inepte nobis referri posse videtur modus retrogradus fluidi in absorbentibus vasibus, a b. PARWIN (\*) acute investigatus. Hic motus retrogradus — quem exstare posse,

pro-

(\*) An Account of the retrograde motions of the absorbent vessels of animal bodies in some diseases. Lichfield 1780. Sammlung von Abhandlungen zum Gebrauch prakt. Aerzte, Tom. VI.

probabile est — non spernendam multorum phaenomenorum a syste-  
mate absorbente pendentium, pree-  
bet explicationem.

2) Secundam generalem caussam morbo-  
rum systematis, profusorem lymphae  
ex sanguine secretionem statuimus. Est  
itaque, ut illam tam quo ad originem,  
quam quo ad suos effectus indagemus.

In statu moborso humani corporis  
causa memorabilis multorum obvenien-  
tium phaenomenorum indubie est, nimis  
profusa secretio ac quasi prodigalitas lym-  
phae. Minores arteriolae lymphaticae  
ducunt fluidum, quo ob majorem illius se-  
cretionem turgent, illudque vel immediate  
denuo in venarum sistema, vel in cellulolo-  
sum

sum contextum aut in corporis cavitates deponunt, vel demum ad corporis superficiem transpirabilem probellunt.

Haec vero aucta secretio atque excretionis fluidi lymphatici, sequela est irritamenti varii generis, systema absorbens diversis in organis stimulantibus. Phaenomenorum inde apparentium diversitas a duplice fonte oritur: vel ab ipsius irritamenti differentia, vel a discrimine organi affecti. Quod differentiam irritamenti attinet, satis sit, in genere notasse: illud vel esse in corpore natum, ut bilis acris, diathesis putrida, cum cacochymiis variis; vel esse a corpore suscepimus, ut miasmata varia; vel fusse corpori extrinsecus applicatum, ut medicamina tam interna quam externa, quibus vasa absorbentia stimulantur,

Quod

Quod diversitatem organi affecti speciat, utpote praecipuam plurimorum phaenomenorum causam, prae ceteris notanda veniunt

a) Organa respirationis cum vicinis partibus, quippe quae secretionibus ac excretionibus lymphaticis quam maxime subjacent. In catharris enim aliisque serosis faucium morbis, excernitur magna quantitas lymphae coagulabilis. Extra dubium quoque est, materiam quandam irritantem, acidam vel salinam aliove vitio infectam, aëre contentam, vias aëreas afficere, et morbos catharales existare. Epidemiae catharales nomine influentiae per omnem Europam fatnotae, hanc rem ad oculum evicerunt.

runt. Sed et alia sunt irritamenta, profluviis serosis his e partibus producendis paria, inter quae primum locum obtinet transpiratio suppressa, tot morborum serosorum, faucium ac pectoris frequens causa Notatu denique digna sunt medicamina, serosas excretiones in his partibus promoventia, praecipue usus mercurii salivationem procreans, errhina quoque atque masticatoria, fumus herbae Nicotianae etc. Forsan et hic theoria Darwiniana locum obtinet.

- b) Non mirandum videtur, excretiones serosas ex tractu intestinali praeceteris frequentes esse: ex una enim parte intestinali, magna vasorum absor-

D

be-

bentium copia pollut, et ex altera  
prae aliis, subjacent irritamentis omni-  
genis. Acrimoniae variae ibi ab in-  
gestis dispeptis et acribus, a vita fe-  
dentaria, causisque debilitantibus or-  
tum ducentes, generantur, irrita-  
mentique instar agunt, et excre-  
tiones serosas justo copiosores pro-  
creant. Primum enim ipsa laeditur  
absorptio (quam causam morborum  
hujus systematis in sequentibus per-  
scrutabimur) tum vasa exhalantia ir-  
ritamentis intestinorum canali illatis,  
ad frequentiorem lymphae secretio-  
nem stimulantur; obstructio denique  
vasorum ac glandularum copiosiori  
fluidi

fluidi lymphatici excretioni ansam  
praebet.

Inter irritamenta, quae canalem intestinalem, ejusque vasa absorbentia stimulant, omnium primo nominari merentur medicamina salina, quorum usus nostra aetate ultra modum invaluit. His vero medicaminibus feras praecipue excretiones promoveri, patet inde, quod tartaro vitriolato vel alio sale medio in os assumpto ferosa faucium excretio copiosior subsequatur. Acria, aromatica, aliaque similia quidem idem procreare valent; sed inter omnia irritamenta intestinorum, vermes quam maxime ad profusiorem se- et excretionem

D 2

fero-

ferosam stimulant. Perpetua enim fuctio-  
ne, internam intestinorum tunicam villo-  
sam irritant, et affluxum lymphaticarum  
partium augent promoventque. Praete-  
rea et ipsi chyli resorptioni nocent, cujus  
non mediocrem partem ad ipsam sui suspen-  
tationem consumunt.

Quanta autem damna quamque gra-  
via ex hac lymphae excretione corpori in-  
ferantur, quis est, qui ignoret? conti-  
nuo quippe irritamento debilitantur orga-  
na digestionis ita, ut perfectae coctioni ci-  
borum perficiendae imparia evadant. Cru-  
da itaque manent ingesta, augentque acri-  
moniam jam praesentem. Absorptio ma-

le

le succedit, sequiturque totius corporis debilitas et atrophia. Manet etiam non raro serosa diarrhoea in fluxum hepaticum vel coeliacum degenerans. Histeria denique, melancholia, hydrops, quid? quod agmen morborum nec viribus naturae nec arte superabilem ex profusiore hac lymphae excretione corpus humanum invadant ejusque ruinam minitetur.

- c) Eodem modo, licet rarius, quam intestina, variis ab irritamentis afficiuntur viae urinariae, subsequitur copiosior lotii excretio non raro veram efficiens diabetem.

Loc-

Longo jam tempore conjecturarunt  
Physiologi, breviorem dari viam ex inte-  
stinis ad urinarias vias, quam per secretio-  
nem ex sanguine in renibus. Experimenta  
cum nitro vel turionibus asparagi instituta,  
quorum vestigia paulo post in urina, mi-  
nime vero in sanguine prodierunt, rem  
adhuc probabiliorem reddidere. Brevior  
haec via procul dubio est absorbens syste-  
ma. Phaenomena hic occurrentia prae ali-  
is vix aliter, quam ex motu fluidi retro-  
grado in vasa absorbentia explicabimus:  
quare et Darwiniana theoria miro inde mo-  
do confirmatur. Irritamenta vero, que dic-  
tum motum producunt vel idiopathice vel  
sympathice in vasa absorbentia agunt. Uri-

nae

nae profluvium copiosius evadit in paroxismo hysterico; post corporis refrigerium, vel dum anxietate aut timore corripimur. His enim affectibus spasmodice constringuntur vasa peripherica et afflussus fluidi ad lotii organa fit major. Initio ebrietatis etiam urinæ major excernitur copia. Idem accidit post usum diureticorum et sic porro. In ulteriori casu vasa absorbentia idiopathice affici, atque ad motum retrogradum stimulari, vero simile est. In ipsa vera diabete, quantitas fluidi excreti, ingesti copiam saepius longe superans, vix aliter explicabitur. Ipsam autem lympham his excerni organis, vix dubio subjacet. Urina enim laetitia, verminosa

nihil



nihil aliud sistit, quam urinae cum lymphā  
misceelam. Nonnulli in diabete sic dicta  
chyloſa ipsum chylum excerni autumant:  
qua de re tamen merito adhuc dubitatur.  
In primordio gonorrhœae, nil aliud quam  
profluviūm praeternaturale feroci fluidi ab  
irritamento excitati adest.

Eadem incommoda, quae jam supra  
retulimus, ex hac nimia partium ferofa-  
rum excretione per vias urinarias, succe-  
dunt.

d) An vero per ipsam corporis superfi-  
ciem externam lymphatici fluidi ex-  
cretio locum habeat, in dubium vo-  
catur. Non desunt tamen phaeno-  
mena

mena quae hanc lymphae excretio-  
nem per externam corporis superfi-  
ciem probabilem reddant. Etenim  
variis in morbis ac individuis ali-  
quando adeat sudor adeo tenax et vis-  
cidus, quem debilitas, cacochy-  
mia atque atrophia excipit ita; ut  
praesentiam fluidi lymphatici in hac  
excretione conjicere, nil inepti videa-  
tur. WILLIS (\*) historiam refert fe-  
minae, e qua tam copiosus proma-  
navit sudor, ut ad uncias excipere-  
tur. His sudoribus de die in diem  
magis magisque tabescet atque in-  
extinguibili urgebatur siti. Quam

exi-

(\*) Pharm. rat. de sud. angl.

exitiosus denique sit morbus, sudoris anglici nomine notus, neminem fugit. Princeps autem ejus symptoma est sudor viscidus copiosissimus. In hypothymiis sudores maxime tenaces observamus; ipsi vero colliquativi sudores, speciem sudoris vere lymphatici praefe ferunt.

3) Ipsa laesa vel omnino impedita atque interrupta absorptio, tertiam morborum systematis absorbentis generalem causam fistens, nunc illustranda venit.

Orificia quippe vasorum absorbentium variis causis ad peragendum suum munus im-

imparia reddi possunt, quatenus vel paralyticō modo inertia fiunt, vel spasmis constringuntur, vel tandem obſtruuntur. Praesertim in intestinali canali haec orificia laeſionibus ſubſunt: ſpirituosa, adſtrigentia, acria ingeſta, uti vinum, ſpiritus frumenti, aromatica, p̄ae ceteris vero ſaturnina, vaſorum absorbentium orificia ita coarctant, ut munere ſuo fungi deinceps non poſſint. Largiores opii doſes idem efficiunt. Subſequuntur tum tabes, atrophia, hydrops; et in cadaveribus hiſ morbis vita defunctorum, vix vaſorum chyliſerorum rudera inveniuntur.

Cibi glutinosi, viſcidi, terrei orificia vaſorum glandulasque eodem modo obſtruunt,

struunt, et nutritionem vel omnino impe-  
diunt vel saltim imperfectam reddunt Haec  
est non rara causa atrophiarum infantilium.  
In organis respirationis partibusque adja-  
centibus, saepe vasa lymphatica, et glan-  
dulas propter obstruktionem, peragendae  
absorptioni imparia invenimus. In febri-  
bus ob impeditam absorptionem adest in-  
terdum siccitas et ariditas faucium cum si-  
ti, nullo superanda potu. Hoc in casu vel  
spasmo constringuntur vasorum orificia,  
vel foribus occluduntur, quae fauibus  
inhaerent. In contextu celluloso omni-  
busque corporis cavitatibus non raro ad-  
est laesa vel impedita absorptio, ob orificia  
vasorum ibi vel spasmis coarctata, para-

lysi

lysi affecta, vel liquido viscidō obstruta,  
vel tandem praeecedentibus inflammationi-  
bus, aliisque causis perdita.

Recensitis jam laesae absorptionis  
causis ultimam demum, quamvis certe ra-  
rissimam, adnumerare liceat, veram sci-  
licet plethoram. Vasa sanguifera enim  
possunt esse ita oppleta, ut lympham iis  
adductam recipere deinceps nequeant. Ma-  
la autem, a lesa vel omnino impedita ab-  
sorptionem ortum ducentia, ex supra dictis  
sat superque patent, mortemque profecto  
inferunt, nisi eorum causae occurratur.

4) Tandem vitia ipsius fluidi absorpti  
quartam generalem causam morbo-  
rum

rum huc pertinentium sīstunt. Quām  
vero in dīcta vitia hic spēciatim in-  
quirere non sīnāt libelli nostri limi-  
tes, monūsse sufficiat, fluidum hoc  
vel qualitate vel quantitate peccare.  
Etenim vel in justo majori, minorive  
copia adeſt, aut vitium contrahit,  
quatenus vel visciditate, vel tenuita-  
te, vel acido, putridoque vel alio  
quodam acri, morborumque mias-  
matibus inquinatur.

In omnes has causas morbificas, mor-  
bosque ipsos inde succedentes inquirere,  
opus et vires nostras et limites propositos,  
longe excedens foret: nam et praeter mor-  
bos

bos universales ac particulares, jam hic  
illic nominatos (qui sequelae sunt vitiorum  
absorbentis systematis) morbi quoque ii huc  
pertinent, quorum matieres in corpus ope  
resorptionis fuscipitur: quare et omne con-  
tagiosorum morborum agmen.

Nobis tantummodo quaedam hisce  
adficere liceat, circa usum et praefantiam  
systematis absorbentis, in levandis pluri-  
mis gravissimisque morbis.

---

III.

## III.

*Systema absorbens, quatenus morborum sanationem efficit.*

De absorbente systemate, habita ratione tam physiologiae quam pathalogiae breviter egimus: nunc pauca, quae usum hujus systematis in curandis morbis confirmant, addere permittamur.

Ipsis suis naturalibus viribus aequa, ac suffragante arte nitens absorbentium vasorum systema, salutaribus in corpore humano mutationibus producendis, illiusque praeternaturali statui multis in casibus levando, par est. Maximus morborum numerus  
fana-

fanationem suam huic systemati debet, ita ut ad rite succendentem ejus functionem toto animo attendere, medici quam plurimum intersit. Non nostrum hic est, omnes enumerare morbos, quorum fanatio absorptionis ope perficitur, aut theorias de iis ventilare.

Quem enim fugit, hydrops tam generales quam particulares, extravasationes, restagnationes fluidorum, indurations, scirrhos, aliaque innumera incommoda, restituta vasorum absorbentium actione levari atque fanari? Nobis solummodo est scopus, quanti momenti in medicina practica hujus systematis cognitio sit, demonstrare, qua tam therapeutica quam

prophylactica curatio plurium morborum  
nititur.

Tam externis quam internis reme-  
diis systematis absorbentis vitia aggredi li-  
cet. Quatuor autem praecipue classibus  
absolvuntur remedia ad restituendas laesas  
actiones atque functiones hujus systematis,  
secundum vitii indolem adhibenda, nempe

i) *Derivantia* uti emetica, quae alio  
quoque modo profundit et fere omnes  
promovent secretiones. Accedunt  
purgantia, inter quae ea praecipuum  
locum obtinent, quae sedes magis se-  
rofas carent, v. g. falia media, Helle-  
borus, aliaque. Diaphoreticis etiam  
atque

atque diureticis, et in rariori casu,  
venae sectione, uti convenit.

2) *Antispasmodica* et relaxantia saepe  
in morbis systematis absorbentis ju-  
vant, uti camphora et opium: pree-  
stant tamen ea, quae simul vi gaudent  
resolvente. Talia sunt, Belladonna,  
Dulcamara, cicuta, hyoscyamus, alia.

3) *Excitantia* et stimulantia pree aliis  
absorptionem promovent, sed majo-  
rem etiam cautionem ac prudentiam  
requirunt. Nominasse ex iis suffi-  
ciat, mercurium, epispastica, rubefa-  
cientia, electricitatem etc.

#### 4) Varia



4) Varia vim muscularam, muscularum-  
que motum augentia, ut equitatio,  
frictiones et famosae illae aevi nostri  
manipulationes etiam hoc faciunt.

Sparsa illa omnia, quae de systemate  
absorbente in c. h. tradidimus, si sat super-  
que demonstrant illius momentum praesta-  
tiamque in morbis eisque medendi ratione,  
laborum metam attigimus. Quantum vero  
arti medicae prodeisset, singula, quae hoc sy-  
stema concernunt, in unum conferre atque  
oculis subjecere, quis non videt? Opus acu-  
to ingenio ac doctrina pollenti medico relin-  
quendum, vires tironis longe excedens!

---

THE-

## T H E S S.

- I. Efficacia emeticorum minime sola primarum viarum evacuatione consistit.
- II. Bronchotomia male negligitur: nam raro, nisi ferius administrata, successu fausto caret.
- III. Pollutiones nocturnas ad naturales viri excretiones nullo modo referendas esse, arbitror.
- IV. Diabetis caussa proxima non semper in renum laxitate quaerenda est.
- V. Variolarum infestationem, absente epidemia variolosa, vix probaverim.

70  
VI. Ufus mercurii in praeparatione ad  
inſitionem variolarum non ſolum in-  
noxiuſ, ſed etiam proficuſ videtur.

VII. Methodus frigida, minime in qua-  
vis variolarum periodo adhibenda  
eſt.

VIII. Corotrophia magis rei publicae  
nocent, quam proſint.

WOB  
PICA

2  
H

73

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
MEDICA  
SISTENS QVAEDAM

CIRCA

SYSTEMATIS AB-  
SORBENTIS PATHO-  
LOGIAM.

QVAM

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS  
CONSENSV AC AVCTORATE

PRO

GRADV DOCTORIS  
MEDICINAE

RITE OBTINENDO  
DIE XX. JUNII, MDCCLXXXVIII.  
PVBLICE DEFENDET

A V C T O R,  
LVDOVICVS FORMEY  
BEROLINAS.

HALAE,

TYPIS FRANCKIANIS.

c. p. 146. 147.

bservat. med. rar. p. m. 404.



RRATVM p. 13. l. 1. illarum l. illorum.

